



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Jn Caput II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



NOTATIONES IN  
CAPVT PRIMVM.



*ANNO ab Incarnatione Domini Millesimo primo*) Baro-  
nius Tom. II. Anno 1001. mortem Ottonis & suc-  
cessionem Henrici refert ad annum 1002. secu-  
tus, vt ait, Marianum, Sigebertum, Lambertum.  
Otto tamen Frisingensis & alij cum nostro Auctore faciunt.

*Othone puero*) Nomen Pueri Othoni adiecisse videtur; quia  
puer Imperium inierat. Helmoldus lib. I. Chron. cap. 13. Illi  
(Othoni II.) tertius Orho, cum adhuc esset puer, in regnum substitutus  
est.

*Rome defuncto*) Ita etiam Rupertus in vita S. Heriberti. Da-  
mianus in vita S. Rumoldi mortuum dicit apud Paternum.

*Literarum studio*) Etiam Rupertus in vita S. Heriberti Hen-  
ricum à literarum cognitione laudat.

*Ab omnibus pari voto*) Fuere tamen, qui Henrici electioni re-  
fragarentur. Vide Ditm. lib. 5. initio.

*In Caput II.*



*Anctus VVolffgangus*) A quo S. Henricus educatus fu-  
erat; teste Ditmaro lib. 5.

*Nurit præclarum VVolffgangus Præsul alumnus,  
Qui sequitur Dominum toto conamine Christum.*

*Visum namq; est ei*) Hæc visio describitur quoque in vita san-  
cti VVolfgangi; & à Baronio refertur ad annum Christi 1007.

*CAESARIS DIGNITATEM*) Cæsaris nomen pro Impera-  
toris vocabulo. Vita S. VVolfgangi: Septimo anno à Pontifice Ma-  
ximo Imperator vnctus est. Quod factum à Benedicto VII. Pon-  
tifice, Anno Christi 1014. Olim communi vsu Rex Romano-  
rum Cæsar appellabatur. Langius in Chronico; Notandum, quod  
Electus mox Cæsar, & Romanorum Rex appellatur: tum demum Impera-  
tor & Augustus, si eum Romanus Pontifex confirmasset.